inter eruditiores: denique scripti, cuius lectiones suppeditauit eiusdem, cui superiora illa debemus, *Ruhnkenii* liberalitas.

His igitur librorum praesidiis adiuti textum Xenophontii opusculi formauimus, in consilium vocatis linguae ipsius analogia, orationis Xenophontiae ingenio, et rerum ipsarum natura. Vsi etiam sumus praeter *Reiskii* nostri coniecturas criticas, quas ante plures annos nobiscum communicauit, et admonitionibus *Hindeburgii*, linguae graecae et aliarum doctrinarum, inprimis mathematicae, egregia scientia praediti, qui nuper obseruationum librum in hoc Xenophontis opusculum edidit, in quo nemo doctrinam elegantem et ἀκρίβειαν in iudicando desideret: quo magis eum a studiosis, qui hos libellos Xenophontis legerint, cognosci cupimus; quia nos in verbis rebusque illustrandis parci fuimus, nec libellum hunc propter eos, quibus ab initio destinatus erat, talibus notis onerare consultum duximus. Habebunt etiam prouectiores in hoc genere litterarum, et viri docti, in obseruationibus Cel. *Valkenarii* et *Ruhnkenii*, virorum doctrinae liberalis exquisita scientia florentissimorum et litterarum graecarum in Batauis statorum, quae huic editioni accessere, quod cum fructu et voluptate legant.

Optamus vt, hos libellos legendo et tractando, multi etiam posthaec de iuuentute litterarum studia aemulante capiantur litterarum graecarum et doctrinae liberalis et elegantis amore; quem conseruari inter nos et inflammari, plurimum verae sapientiae et diuinae et humanae interest. Scripsi Kal. Maiis a. C. CIↃIↃCCLXXII.

ADDEN.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id375455116/22
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG